vltimi sinus secundæ Tabulæ, qui est 9995001. 222927, artificialis numerus includetur inter terminos hos 5000. 0252500 & 5000. 0247500. Quibus iam habitis terminis (per 31) poteris ipsos artificiales numeros eorum exquirere.

43. *Sinuum vel numerorum naturalium non in ipsos proportionales secundæ Tabulæ, sed prope vel inter eos cadentium, numeros artificiales exhibere: seu inter terminos cognitos insensibili fractione differentes includere.*

Sinui dato sinum secundæ Tabulæ proximum, siue maiorem siue minorem nota, huius tabulati sinus terminos artificiales per præmissam quære: deinde per regulam proportionis, quære quartum proportionale se habens ad sinum totum: vt sinuum dati & tabulati minor se habet ad maiorem. Quod vno modo perfici poterit, ducendo dati & tabulati minorem in sinum totum, & productum in maiorem diuidendo. Altero modo faciliore, ducendo sinuum dati & tabulati differentiam in sinum totum, & productum in dati & tabulati maiorem diuidendo, atque quotientem ex sinu toto auferendo. At quia huius quarti proportionalis, numerus artificialis (per 36) tantum differt ab artificiali sinus totius, quantum inuicem artificiales sinuum dati & tabulati differunt: Et quia etiam illorum differentia, eadem est cum ipso artificiali quarti per 34: Ideò artificiales terminos quarti, per penultimè præmissam è Tabula prima quære, & inuentos adde ad artificiales terminos tabulati, aut ab illis substrahe per 8. 10. & 35. prout tabulatus sinus fuerit maior aut minor dato, & producentur artificiales termini sinus dati.

EXEMPLVM.

VT sit sinus datus 9995000. 000000, sinus Tabulæ secundæ ei proximus est 9995001. 222927, huius termini artificiales (per præmissam) sunt 5000. 0252500 & 5000. 0247500. Quartum deinde proportionale alterutro modorum suprascriptorum quære, & fiet 9999998. 7764614, cuius terminos artificiales (per 41) è prima Tabula quære, eruntque 1. 2235388 & 1. 2235386: quos ad superiores terminos per 8 & 35 adde, fientque pro terminis artificialibus dati 5001. 2487888 & 5001. 2482886. Vnde & numerus inter hos

hos medius, qui est 5001. 2485387, optimè (per 31 pos.) pro ipso artificiali numero sinus 9995000 dati statuitur absque sensibili errore.

44. *Hinc sequitur, omnium proportionalium primæ Columnæ tertiæ Tabulæ, numeros artificiales exacte satis dari: seu inter terminos cognitos insensibili fractione differentes includi posse.*

Nam quum per præmissam, huius 9995000 (qui est primus sinus infra sinum totum, ex proportionalibus primæ Columnæ tertiæ Tabulæ) numerus artificialis sit 5001. 2485387 absque errore sensibili: secundi proportionalis scilicet 9990002. 5000, numerus artificialis (per 32) erit 10002. 4970774. Et sic in cæteris, progrediendo vsque ad vltimum eius columnæ sinum 9900473. 57808. cuius, pari ratione artificialis numerus erit 100024. 9707740: eiusque termini 100024. 9657720 & 100024. 9757760 erunt.

45. *Numerorum naturalium, seu sinuum non in ipsos proportionales primæ Columnæ tertiæ Tabulæ, sed prope vel inter eos cadentium, numeros artificiales exhibere: seu inter cognitos terminos insensibili fractione differentes includere.*

Sinui dato sinum primæ Columnæ tertiæ Tabulæ proximum, siue minorem siue maiorem nota; huius tabulati terminos artificiales per præmissam quære: deinde quartum proportionale se habens ad sinum totum, vt sinuum dati & tabulati minor ad maiorem, per vnum ex modis in penultimè præcedente descriptis quære: huius quarti ita inuenti terminos artificiales (per penultimè præmissam) è secunda Tabula quære, & inuentos adde ad terminos tabulati sinus superiùs inuentos, aut ab illis substrahe (per 8. 10. & 35.) & producentur artificiales termini sinus dati.

EXEMPLVM.

VT sit sinus datus 9900000, proportionalis sinus primæ Columnæ tertiæ Tabulæ ei proximus, est 9900473. 57808, cuius termini artificiales per præmissa sunt 100024. 9657720 & 100024. 9757760. Quartum inde proportionale erit 9999521. 6611850, cuius termini artificiales (per 43 è secunda Tabula desumpti) sunt 478. 3502290 & 478. 3502812: quibus terminis ad terminos superiores tabulati

(per